

## Brevis historia agriculturae veterum Romanorum.

## Brevis historia agriculturae veterum Romanorum.

Agriculturam fuisse quasi matrem omnium civitatum et nutricem, quae eadem semper sustentaverit eas corroboraveritque, historia omnium populorum ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem repetita edocti facile intelligimus. Unde factum est, ut veteres populi agriculturam referrent ad deos eosque fabularentur fuisse auctores earum, quibus niteretur agricultio, rerum atque eam in tutela numinum coelestium esse pro certo haberent. Qua religione ducti agriculturam omnemque rem rusticam non modo non habebant dedecus, sed in summo ducebant honore ita, ut civitatum principes et legum latores sapientissimi non exhortarentur solum cives incitarentque ad agros colendos et, ne quis agriculturam negligeret, sed vires impenderet ei diligentissime, legibus sancirent, verum etiam ipsi exemplo suo praeirent et praecepta agris colendis utilissima darent et libros de re rustica scribentes viam rationemque agri bene colendi monstrarent, quippe qui sibi persuasissent et incrementa reipublicae pendere ex agricultione et vires eius stabiliri ac promoveri studio rei rusticae adeo, ut ea negligenta fundamentis certis et praesidiis et subsidiis quasi careret res publica. Ut omittamus Chinenses, quorum imperatorem nostra etiam memoria ut certo quodam die in agro diis dedicato sulcos aratro ducat lege sanctissima teneri notissimum est; ut silentio transeamus Babylo-nios, Aegyptios, Carthaginienses aliosque, quos agriculturae studuisse inter omnes constat, Graeci quidem, qui et litteris artibusque et institutis ac legibus eximiam sibi pepererunt laudem nec minus comparaverunt rebus praecclare gestis gloriam summam, agriculturae ita sese dederunt, ut opera rustica non exercent modo summopere, sed etiam multi apud eos existarent poetae et scriptores clarissimi, qui summis laudibus rem rusticam efferent et studiosissime commendarent atque quomodo ea curanda esset, docerent<sup>1)</sup>). Quos Romani secuti superaverunt omnes et incredibili studio agri colendi et ingenio summo, quo ab aliis maioribusque tradita et accepta meliora facerent ac promoverent excoolerentque. Quin etiam si quis Ciceronis verba<sup>2)</sup>: „meum semper iudicium fuit omnia nostros invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora“ referre velit ad rem rusticam, neminem esse puto rei gnarum, qui contra dicere audeat. Verum enim vero Romani in agricultura facienda tantos fecerunt progressus, ut et sibi prodessent maxime et ceteris hominibus maximam afferrent utilitatem. Quod ut melius perspiciatur, duae distinguendae sunt aetates sive periodi, quae dicuntur, quarum prior ab urbe condita usque ad confectum Punicum bellum tertium, altera inde ab eo tempore usque ad interitum regni occidentalis statuenda sit.

1) cf. Columella *de re rust.* I. 1. coll. Ter. Varrone *de re rust.* I. 1.

2) Tusc, disp. I, 1.

Iam Romulus postquam inter pastores educatus et adultus<sup>3)</sup> Urbem condidit, solus Remo fratre occiso imperium nactus asylum aperuisse dicitur<sup>4)</sup>. Quo factum est, ut praeter eos, qui ea loca incolebant, homines agrestes et pastores, multi undique in novam urbem confluenter. Eos maximam partem pastores et agricolae fuisse nisi a scriptoribus memoriae proditum esset, iam inde appareret, quod „Romulus arvorum sacerdotes in primis instituit seque duodecimum fratrem appellavit<sup>5)</sup>. Accedit, quod Italiae incolas plerumque rem pastoritiam et rusticam exercuisse indicant ea, quae de adventu Herculis Graeci in Latium Evandri aetate narrantur<sup>6)</sup>. Urbe autem condita centenis Rammensium ducenta iugera tributa sunt, quae centuriatum agrum efficiebant, item postea gentibus Titiensium et Lucerum<sup>7)</sup>. Itaque bina tunc iugera populo Romano satis erant nullique Romulus maiorem modum attribuit<sup>8)</sup>. Pars agrorum sacerdotibus et regi reservata est<sup>9)</sup>. Omnibus autem civibus pascua erant communia ita ut suam cuique pecudem in iis pascere liceret „soluto quodam vectigali, quod tunc diu solum vectigal fuit<sup>10)</sup><sup>10</sup>). „Quod uno iugo boum in die exarari posset, iugum vocabatur: actus, in quo boves agerentur cum aratro, uno impetu iusto. Hic erat CXX pedum, duplicatusque in longitudinem iugerum faciebat<sup>11)</sup>. Singulorum sors nominata esse videtur hortus aut heredium<sup>12)</sup>. Veientibus agri parte multatis<sup>13)</sup>, Romulus captum ex hoste agrum diviserit nec ne, dici non potest. Numa Pompilius autem agros divisit viritim civibus docuitque sine populatione atque praeda posse eos colendis agris abundare commodis omnibus<sup>14)</sup>. Is quum bellum gesserit nullum, verisimile est, eum civibus divisisse agrum ex hoste Veiente a Romulo captum aut de suo dedisse. Id certe manifestum est, Numam civium animos ut avocaret a bello, ad agros colendos excitasse neque a veritate abhorrere videtur, quum singuli cives bina iugera habuerint, Numae distributione sortes singulorum civium auctas esse. Servius Tullius plebi agrum assignavit<sup>15)</sup>, ut ea etiam civitatis pars agri publici particeps esset atque ita rem instituit, ut quum populum describeret in tribus triginta, viginti sex tribus rusticis, quatuor urbanas esse vellet, quarum rusticae erant laudatissimae<sup>16)</sup>. Qua ratione Tullius et quantum agri plebi assignaverit, neque expediri nec pro certo dici potest. Verisimile est, plebi partem agri publici aut regii datam esse senatus auctoritate, quae binorum aut septenorum modum non

3) Liv. I. 4. 7 coll. I. 6. 3. 4) Liv. I. 8. 5.

5) Plin. Hist. nat. XVIII. 2.

6) Liv. I. 7.

7) Testus s. v.: centuriatus ager in ducena iugera definitus: qui (quia) Romulus centenis civibus ducena iugera tribuit.

8) Plin. H. N. XVIII. 2.

9) Dionys. II. 7. (Ἐξιλών τὴν ἀρχοῦσαν εἰς ἵερα καὶ τεμένη).

10) Plin. H. N. XVIII. 3: etiam nunc in tabulis censoris pascua dicuntur omnia, ex quibus populus redditus habet, quia diu solum vectigal fuerat.

11) Plin. H. N. XVIII. 3.

12) Plin. H. N. XIX. 19. 1 coll. 19. 3: in XII tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus, in horti vero heredium.

13) Liv. I. 15 coll. Dionys. II. 55. Plutarch. Rom. 25.

14) Cic. de rep. II. 14.

15) Liv. I. 46. Dionys. IV. 9. 10. 13.

16) Plin. H. N. XVIII. 3.

excederet. Namque exactis demum regibus plebi septena iugera assignata sunt<sup>17)</sup>, ut, quod facile est ad intelligendum, Patres animos plebis sibi beneficio devincirent. Sed iam anno U. C. CCLXVIII (a. Chr. n. CDLXXXVI) Spurius Cassius Viscellinus consul primum legem agrariam promulgavit, nunquam deinde sine maximis motibus agitatam<sup>18)</sup>. Etenim ea lex insequentibus annis usque ad annum a. Chr. n. CDXXIV quater, deinde usque ad annum a. Chr. CDXII ter repetita est<sup>19)</sup>, ita tamen, ut anno a. Chr. n. CDXXIV non solum lex de dividendo agro promulgaretur, sed tum temporis etiam „agri publici dividendi coloniarumque deducendarum ostentatae sunt spes et vectigali possessoribus imposito in stipendium militum erogandi aeris<sup>20)</sup>“. Quae extrema rogationis pars inde ab eo tempore turbas excitasse videtur, quippe quum patres maximam agrorum partem possiderent iisque igitur vectigal imponeretur. Res autem ita se habet. „Mos<sup>21)</sup>“ erat Romanis modo hos modo illos Italiae populos subigendo parte agri muletare in eumque colonias deducere aut in oppida iam ante condita novos colonos sui generis ascribere. Hae coloniae tanquam praesidia partis bello provinciis imponebantur, in quibus quantum erat culti agri colonis dividebatur aut vendebatur elocabaturve, quod vero incultum supererat, ut fere bellum sequi solet vastitas, quia sub sortem mittere non vacabat, per praeconem invitatis assignabant, quibuscumque liberet colere excepta sibi tributi nomine in singulos annos ex arbustis proventus parte quinta, frugum decima: quin etiam gregibus vectigal indictum erat tam minoris quam maioris pecoris. Ita prospiciebatur frequentiae generis Italici, quod laboris patientissimum est habitum, ne careret auxiliis domesticis.<sup>22)</sup> Apparet igitur, cives Romanos, qui coloni in regiones bello partas mittebantur, vectigale fuisse immunes neque nisi hominibus Italici generis vectigal esse impositum: deinde patet, coloniis deducendis vendendisque agris cultis factum esse, ut pauca iugera superessent civibus Romanis in colonias non missis. Quum praeterea magna pars agri ex hoste capti pecori pascendo idonea esset, primis reipublicae temporibus fieri potuit, ut quamvis multum agri bello partum esset, „privatus illis census esset brevis, commune magnum“<sup>23)</sup>, utque Q. Cincinnatus nisi septem iugera non possideret<sup>24)</sup>, imo vero, quum ex his tria, quae pro amico ad aerarium ob-signaverat, multae nomine amisisset, quatuor<sup>25)</sup>.

At id quod cautum erat, non evenit, „sed res in contrarium quam putarant cecidit. Nam divites agro inculto maiore ex parte occupato tandem praescriptione diurni temporis in possessione confirmati et vicinorum pauperum portiones modo vi adiungentes modo pretio non iam rura colebant, sed latifundia coemptis cultoribus et pastoribus, ne ab armis avocarentur ingenui“<sup>26)</sup>. Id iam ante legem agrariam a Sp. Cassio Viscellino latam quin factum sit, non

17) Plin. H. N. XVIII. 4 s.f.

18) Liv. II. 41. coll. Dionys. VIII. 70—76.

19) Liv. IV. 36. 42. 43. 44. 48. 49. 52. 54 coll. Dionys. VIII. 87. IX. 1—2. 51—54.

20) Liv. IV. 36.

21) Appiani de bell. civ. I. 7. sunt verba latine redita.

22) Hor. carm. II. 15. 13.

23) Colum. de re rust. I. 1 coll. Liv. III. 26. Dionys. X. 5—8. Plin. H. N. XVIII. 4—5.

24) Val. Max. IV. 7.

25) Appian. de bell. civ. I. 7 coll. Liv. II. 41.

est quod dubitemus. Nam „adiiebat Cassius huic muneri agri aliquantum, quem publicum possideri a privatis criminabatur. Id multos quidem Patrum ipsos possessores periculo rerum suarum terrebat“<sup>26)</sup>. Itaque non est mirum, quod Liciniis legibus singuli cives plus quingen- tenua iugera habere vetiti sint<sup>27)</sup>. Nec tamen lex agraria antea nec postea valuit, etsi iure- iurando saerata erat multaque decreta in eos qui contra fecissent. Nam si qui videbantur his permoti, in speciem modo agros suis propinquis cedebant, alii propalam legem contemne- bant<sup>28)</sup>. Eo modo quum lex agraria aut demergeretur aut conculcaretur, Tib. Sempronius Gracchus ea postea repetita maximas turbas excitaret necesse fuit<sup>29)</sup>.

Ac priore quidem, quam statuimus, aetate agriculturam fuisse rudem, non est quod mo- neam. Rusticabantur tamen Romani tantum non omnes, sed, quod natura fert, nihil agro colendo spectabant, nisi ut quae ad victum cultumque essent necessaria, sibi pararent. Quae quum maxime gregibus pascendis acquirerent, ager parvus pro horto habebatur, unde legu- mina aliaque eius generis nutrimenta provenirent. Cura horti erat potissimum matrifamilias, cui opprobrio vertebatur, si hortus non diligenter erat cultus<sup>30)</sup>. Vitium cultura apud Roma- nos paullo senior esse coepit<sup>31)</sup>. Dominus ipse aut paterfamilias, ne regibus quidem excep- tis<sup>32)</sup>, rustica obibat negotia adiuvantibus et uxore et liberis, ubi primum viribus firmis ac va- lidis fuerunt<sup>33)</sup>. Atque laudi id ducebatur summae. „Et virum bonum cum laudabant, ita laudabant bonum agricolam bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur“<sup>34)</sup>. Quintius Cincinnatus<sup>35)</sup> aliique<sup>36)</sup> ab aratro ad res gerendas et républicam administrandam arecessiti sunt. Namque „ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur“<sup>37)</sup>. Quae Catonis sententia fuit etiam Varronis<sup>38)</sup>. „Viri, inquit, magni nostri ma-iores non sine causa praeponebant rusticos Romanos urbanis. Ut ruri enim, qui in villa vi- vunt, ignaviores quam qui in agro versantur in aliquo opere faciendo, sic qui in oppido sede- rent quam qui rura colerent desidiores putabant.“ Neque egregius ille et severus M. Porcius Cato censorius<sup>39)</sup> de re rustica scribere infra se duxit, sed adeo adamavit rem rusticam et agriculturam, ut Cicero<sup>40)</sup> eum faciat dicentem: „venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego maxime delector, quae nec ulla impediuntur senectute et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere“. Nimirum agrum male colere censorium probrum iudicabatur<sup>41)</sup>. Quin

26) Liv. II. 41. item Liv. V. 10. VI. 14 (multiplici iam sorte exsoluta mergentibus iam sortem semper usuris).

27) Liv. VI. 95 coll. Appian. b. c. I. 8. 28) Appian. I. I.

29) Appian. b. c. I. 7—17, in primis 9 coll. Liv. epit. LVIII.

30) Plin. H. N. XIX. 19. 3 (hinc primum agricultae aestimabantur prisci et sic faciebant statim iudicium, nequam esse in domo matrem familias (etenim haec cura feminae dicebatur), ubi indiligens esset hortus).

31) Plin. H. N. XVIII. 5. 32) Plin. H. N. XIX. 1.

33) Hor. carm. III. 6. 33—45.

34) Cato de re r. in praef.

35) Colum. de r. r. I. 1. Liv. III. 11—13. Dionys. X. 5—8. Plin. H. N. XVIII. 4 coll. Hor. carm. I. 12. 37—45.

36) Valer. Max. IV. 4. 4. 37) Cato de r. r. in praef. 38) Varro de r. r. II. 1.

39) Natus anno a. Chr. CCXXXIV, mortuus CXLIX. cf. Cic. Brut. §. 61, de senect. 19.

40) Cic. de sen. 15. 41) Plin. H. N. XVIII. 3.

etiam a frugibus, quibus colendis maximam impendebant operam, duxerunt cognomina, ut Fabii, Pisones, Cicerones, Lentuli aliquie aut a pecore, ut Porcius, Ovinius, Caprilius, Asinius, Equitius, Taurus<sup>42</sup>). Aes signatum est nota pecudum, unde et pecunia appellata est<sup>43</sup>). Religione ipsa agricultura erat sacra ita, ut dii primi qui apud Romanos colebantur, ad agriculturam pertinerent atque cum ea arctissime cohaererent caerimoniisque ac sacris agrestibus colerentur<sup>44</sup>).

Quae quum ita essent, possessio illa parva septem iugerum, quae sustentaret aleretque dominum cum uxore liberisque, satis erat et agri ipsi tanta erant fertilitate et ubertate, ut libentissime ferre ac dare, quae usui essent hominibus viderentur. „Quaenam autem tantae ubertatis caussa erat? Ipsorum tunc manibus imperatorum colebantur agri, ut fas est credere, gaudente terra vomere laureato et triumphali aratore, sive illi eadem cura semina tractabant qua bella eademque diligentia arva disponebant qua castra sive honestis manibus omnia laetus proveniunt, quoniam et curiosius sunt“<sup>45)</sup>). Inde etiam annonae vilitas incredibilis erat<sup>46)</sup>). Nec tamen omittendum est, homines tunc ea fuisse frugalitate et morum simplicitate, ut non multarum indigerent rerum ad vitam bene lacteque agendam<sup>47)</sup>). Nondum enim mores depravati erant, sed „domi militiaeque boni mores colebantur. Concordia maxima, minima avaritia erat: ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci<sup>48)</sup>), in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate seque remque publicam curabant“<sup>49)</sup>). „Patriae enim rem unusquisque non suam augere properabat pauperque in divite quam dives in paupere imperio versari malebat“<sup>50)</sup>). „Nam animi virorum et feminarum vigebant in civitate eorumque bonis dignitatis aestimatio cunctis in rebus ponderabatur. Haec imperia conciliabant, haec iungebant affinitates, haec in foro, haec in curia, haec intra privatos parietes plurimum poterant<sup>51)</sup>).“ His quidem moribus homines agris diligentissime colendis operam dabant et profecti a rudimentis parvisque principiis paullatim meliorem certioremq; agri cultionis rationem ac viam secuti sunt. Primis enim temporibus quum instrumenta, quibus utebantur, non admodum idonea et inhabilia essent, deinceps meliora et rei rusticae accommodatoria invenerunt, quorum magnum numerum enumeravit ac descripsit Popma<sup>52)</sup>), qui quidem in instrumentorum numero etiam habet homines, pecudes, aves „sine quibus neque agricultura neque frugum fructuumque reliquorum collectio vel conservatio esse ulla possit“. Pecudibus autem maxime bobus, equis, asinis, mulis in agro colendo utebantur quasi laboris consortibus. Quae animalia diligentissime curabantur,

42) Varro de r. r. II. 1. coll. Plin. H. N. XVIII. 3. abe ritivis eisidu mirov mirov alergis zimpo ni sub

43) Plin. H. N. XXXIII. 3. 13 coll. XVIII. 3. with many so pretiosos etiam sev inservit ut illi certi obstat.

44) Plin. H. N. XVIII. 2.  
45) Plin. H. N. XVIII. 4.

46) Plin. H. N. 1.1 ubi exempla afferuntur complura.

47) Valer. Max. II, 5, 5 cf. Hor. carm. I, 12, 40 seqq. 49) Sall. b. Cat. IX, 10 (3)

<sup>47</sup>) Valer. Max. II, 5, 3. <sup>48</sup> cf. Hor. carm. I, 12, 40 sqq. <sup>49</sup> *ibid.* See L. 10  
<sup>50</sup>) Val. Max. IV, 4, 9. <sup>51)</sup> Val. Max. *ibid.*

<sup>52</sup> Ausculta. Parvæ de instrumentis fundi a 8 coll. Plin. H. N. XVIII. 48 et 8-2 ubi pluræ vame-

52) Ausonius Popma de instrumentis fundi c. 8 coll. Frib. B. N. XVIII. 45 et 8.2 ubi plura volumina.

genera nominantur.

<sup>22</sup> Cefeo ab urbe etiam. <sup>23</sup> Cefeo ab urbe etiam.

praeципue boves, „quorum apud antiquos tanta fuit veneratio, ut tam capitale esset bovem necesse quam civem“<sup>53)</sup>). Frumenti varia genera, item fructus iam priscis temporibus exarabant et colebant. In agris arandis, iterandis, tertiandis aequae ac in seminibus serendis, vitibus amputandis, maritandis aliisque in operibus rusticis tempora certa observabantur prout id naturae soli coelique Italici temperie conveniebat.

Quum temporis decursu agrorum possessio aucta esset nec dominus ipse cum suis omnia opera facere posset, villicus et villica<sup>54)</sup> vices domini et matris familias suscepérunt aut coloni, qui iidem dicebantur conductores<sup>55)</sup> aut partiarii, participes fiebant et laboris et emolumenti ac fructuum. In fundo eo tempore iam villam fuisse, apparet quum Cato ipse de villa loquatur. Quamquam eius villa minime est comparanda cum villis, quales fuerunt posteriore tempore. Namque in eius villa omnia redolent antiquitatem quandam, sicuti ea quae praecepit, ita ut eum antiquam illam simplicitatem et parsimoniam retinere voluisse perspicuum sit. Itaque non est offensioni nobis legentibus, eum, quum Romani antiquitus essent religiosissimi et cultui deorum deditissimi, res superstitiones et incredibiles praescribere<sup>56)</sup>. Sed ea aetate iam progressus factos esse egregios, non est negandum<sup>57)</sup>. Si cui mirum videtur, quod tunc etiam servi opera rustica fecerint et curaverint, is perpendere velit, auctis possessionibus labori multiplici sustinendo vires paucorum non suffecisse itaque aliis adiutoribus opus fuisse. Tantum autem abfuit, ut magna servorum familia in villa esset, ut numerus tantum necessarius opera faceret<sup>58)</sup>.

Ea autem aetate res publica quantam ex agricultura perceperit utilitatem ac fructum, facile est cognitu. Quum enim, quod supra diximus, mores hominum agrestium essent simplicet et ab omni luxuria alieni, quum inventus modestia et temperantia, quibuscum castitas vitaeque integritas essent coniunctae, excelleret atque imbuta esset sincera animi pietate ut in deos ita in parentes itaque parentibus dicto audiens neque quominus eorum mandatis ac iussis

53) Colum. de r. r. VI. praef. (»nec dubium, quin, ut ait Varro, ceteras pecudes bos honore superare debeat, praesertim autem in Italia, quae ab hoc nuncupationem traxisse creditur sqq.«, ubi vide, sis, laudes bovis.

54) Cato de r. r. CXLII coll. V. et CXLIII ubi officia villicae indicat his verbis: »facito (sc. villica), nemini luxuriosa siet. Vicinas aliasque mulieres quam minimum utatur neve domum neve ad sese recipiat. Ad coenam ne quo eat neve ambulatrix siet. Munda siet. Villam conversam mundamque habeat. — Calendis, Nonis, Idibus dies festus quum erit, coronam in focum indat per eosdemque dies Lari familiari pro copia supplicet (cf. Hor. carm. III. 23«).

55) Cato de r. r. XIV. 3 coll. Colum. de r. r. III. 13.

56) Cato de re r. LXXXIII haec habet: »votum pro bubus, ut valeant, sic facito. Marti Silvano interdius in capita singula boum votum facito varris adorei libras III et lardi p. III. s. et puluae p. IV. s. vini sextarios tres. Id in unum vas liceto coniicere et vinum item in unum vas liceto coniicere. Eam rem divinam vel servus vel liber licebit faciat. Ubi res divina facta erit, statim ibidem consumito (?!). Mulier ad eam rem divinam ne adsit neve videat, quomodo fiat. Hoc votum in annos singulos, si voleas, licebit votare.«

57) cf. de r. r. LIII »de foenificio. Foenum, ubi tempus erit, secato cavetoque ne sero secas. Priusquam semen maturum siet, secato«. cf. Zeitschrift des landwirtschaftl. Vereins für Rheinpreussen 1863. No. 12. S. 451, ubi idem praecepitur.

58) Cato de r. r. X.

e vestigio obsequeretur, recusaret, exstitit rusticorum iuventus illa mascula<sup>59)</sup>, quae non minus ad res gerendas esset aptissima, quam ad labores sustinendos paratissima, non minus ad imperia imperatorum ducumque facienda quam ad fustos matris arbitrio portandos accommodata, non minus ad belli pericula obeunda quam ad glebas ligonibus aut vomere versandas promptissima. Quid mirum, quod exstiterunt viri, qui in moderanda republica summam prudentiam, in legibus ferendis summam intelligentiam, in bellis gerendis summum consilium ac diligentiam, omnibus in rebus summum iudicium, summam sapientiam, vitae integritatem, iustitiam, animi tranquillitatem praestiterint probarintque? Verum enim vero ea aetas tulit viros illos, qui Sabinos vicerunt, civitates vicinas in potestatem suam redegerunt, Latinos sibi adiunxerunt, fines regni protulerunt, ab hostibus saepe bello petiti victorias reportarunt splendidas, Samnites, potentissimum illum populum fortissimumque subegerunt, Pyrrhum debellarunt, Italiam totam occuparunt, Carthaginem, aemulam illam opibus terra marique florentissimam exciderunt, Macedoniam everterunt, Illyriae frena iniecerunt, Graeciam victricem illam Persarum imperio subdidderunt suo, Asiam et Africam invaserunt, regumque fregerunt opes ac vires, ita ut sibi viam ad totum orbem terrarum domandum munirent. Rectissime igitur res Romana et originem duxisse ab agricultura dicitur et vires opesque sumpsisse ex agricultura.

At, quae iam sequitur, altera aetate res multo aliter se habet et magna fit rerum commutatio. Multis enim populis et potentissimis et divitissimis subactis Romani maiores sibi paulatim divitias atque opes non comparaverant solum, verum etiam adamare cooperant. Nimirum quum Siciliam, Africam, Hispanias in formam provinciae redigissent, in Asia et paullo post in Gallia citeriore constitissent, Perseo autem Macedonum rege devicto „Paulus Aemilius tantum in aerarium pecuniae invexisset, ut unius imperatoris praeda finem attulisset tributorum“<sup>60)</sup>, fieri non potuit, quin Romani singuli divitiis opibusque tantopere auctis pecuniam corraderent eamque in villis praediiisque locare et fundare studerent, eoque magis, quia „divitiae honori esse coepere et eas gloria, imperium, potentia sequebantur“<sup>61)</sup>. „Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupidio crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere“<sup>62)</sup>. Ea enim est natura humana, ut quo plura habeat eo plura habere velit. Itaque quum praedia magna essent parata, maiora etiam Romani concupiscebant, latifundia coemebant et comparabant. Id eo facilius poterant assequi, quo gravius bellis fere nunquam intermissis homines pauperes, in modica re constituti, premebantur ita ut agri partem vel etiam agrum vendere cogerentur aut colere prohiberentur. Itaque nobiles agris potiebantur aut occupabant obaeratorum possessionem. Tum demum villaे non dicam magnificaе sed omni luxuria effuse exornatae exstrui coepitae sunt<sup>63)</sup>.

59) cf. Hor. carm. III. 6. 37 sqq.

60) Cic. offic. II. 76. Plin. H. N. XXXIII. 17 (H. S. MMCCC.).

61) Sallust. b. Cat. 12 coll. Hor. sat. I. 1. 62; >nil satis est, quia tanti, quantum habeas, sis<.

62) Sall. b. Cat. 10.

63) cf. Sall. b. Cat. 12: >operae pretium est, quum domus atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas<. Val. Max. IV. 4. 7: >anguste se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt<, coll. Hor. carm. II. 18. 19 et III. 1. 33.

Quae possessiones quum amplissime paterent atque magnam partem in terris essent remotis<sup>64)</sup>, multi homines ad eas colendas ac curandas opus erant. Domini quidem ipsi, quippe qui multo alia in Urbe et provinciis spectarent sectarenturque, earum curam gerere aut eas administrare aut regere non poterant. Satis habebant, latifundiis abundare ex iisque, quantos possent, proventus capere. Quamobrem ingentes servorum familiae ut in Urbe ita in villis alebantur, qui ita distinguebantur, ut alii essent villatice alii rustici. His omnia erant permissa. Praeferant, qui inspicerent eorum labores, distribuerent omnia, venderent, quae ex agris, hortis, pastionibus redibant atque quae opus erant curarent dominisque omnium rerum rationes redderent. Praedivites domini nonnunquam in villis versantes nihil agebant, nisi ut voluptatibus deliciisque se dederent<sup>65)</sup>). Itaque facile est intellectu, ex villis et latifundiis raro tantum pecuniae rediisse, quantum in eas impendetur. Nam praeterquam quod eae possessiones, quum Romani divites in emendis iis inter se certarent, maximo pretio emtæ, villaæ maiore etiam impendio exaedificatae ac ornatae erant, primum magnæ impensæ erant facienda in alendas servorum familias, quae quantæ fuerint haud ita multo post bellum Punicum tertium bella servilia deinceps exorta testantur, quae nisi summa virum contentione confici non potuerint<sup>66)</sup>). Deinde improbitate, malitia, perfidia, saepe etiam odio servorum, quippe qui haud raro severe dureque haberentur tractarenturque<sup>67)</sup>, fiebat, ut in operibus rusticis consumeretur cura ea et diligentia, quae ipsis nulla heri absentis<sup>68)</sup> ratione habita satis videretur<sup>69)</sup>. Tum praedia magna quum, id quod etiam nostra memoria verum esse liquet, non ea cura et industria, qua parva aut modica, coli possent, fieri non potuit, quin multa negligerentur, alia omitterentur, alia fierent perperam, interirent alia. Denique eo tempore, ut vita Romanorum erat delicata, mollis, luxuriosa, dissoluta<sup>70)</sup>, in villis et praediis magis spectabant res ad gulæ oblectamenta pertinentes et deliciis voluptatibusque inservientes, ita, ut nobis legentibus scripta veterum Romanorum mirum videatur, quantopere palato et ventri indulserint. In villis enim pascebantur

-64) cf. Hor. carm. II. 2. 10: »quam si Libyam remotis Gadibus innegas et uterque Poenus serviat uni«.

65) De servis et villis cf. librum Guil. Adolphi Beckeri, qui inscribitur Gallus od. Röm. Scenen aus der Zeit August's. T. I. p. 103 sqq. Vir ille doctissimus quum ambigat de servis, qui dicebantur Quales-quales, meam sententiam proponere mihi liceat. Apud Ulpianum (p. 108) nominantur servus ordinarius, vulgaris vel mediastinus, qualis-qualis. Inde coniiciendum est, tria servorum genera distingui. Ordinarii quum primum locum obtinerent ideoque in Urbe et in villis essent, vulgares plerumque in agris, quales-quales fuisse videntur, qui, prout tempus et occasio desideraret, qualiacunque negotia curarent et ruri et in Urbe (Laufjungen, Püngeljungen).

66) Anno a. Chr. n. CXXXV cf. Liv. epit. 59. Valer. Max. II. 7. 9 coll. IX. 12. Diodor. p. 528, 24, qui tunc ducenta millia servorum in bello multisque aliis locis motus serviles fuisse memoriae prodidit: deinde a. a. Chr. CIII. cf. Liv. epit. 69. Flor. III. 19. Diodor. XXXVI.

67) cf. Beckeri Gallus p. 128 sqq.

68) cf. Plin. H. N. XVIII. 8. 2: »maiores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt«.

69) cf. Plin. H. N. XVIII. 4. s. f.: sed nos miramur ergastulorum non eadem emolumenta esse quae fuerint imperatorum.

70) cf. Plin. H. N. IX hi nives illi glaciem potant poenasque montium in voluptatem gulæ vertunt sqq. 8 coll. XXXVII. 21 et XIX. 19. 21. Val. Max. IX. 1. Vellei. Pat. II. 33, in primis Sall. b. Cat. 12 et 13.

non modo anseres, gallinae, anates, columbae, querquedulæ, turtures, pavones in ornithonibus, qui dicebantur, sed etiam lepores in leporariis, apri in ἡριοτροφείῳ<sup>71)</sup>, cochleae, glires<sup>72)</sup> atque apes et pisces<sup>73)</sup>. Hac pastio dicebatur villatica et distinguebatur ab agresti<sup>74)</sup>, quae spectabat et complectebatur pecudes maioris generis, ut equos, mulos, asinos, boves aliasque eius generis. Et huic pastioni operam tribuebant maximam utpote fructuosissimae<sup>75)</sup>. „Coenae enim innumerabiles excandefaciebant annonam macelli“. Accedebat, quod „propter luxuriam quodammodo epulum quotidianum erat intra ianuas Romae<sup>76)</sup>.“ Itaque quum ex passionibus maior pecunia caperetur, quam e frumentis<sup>77)</sup>, summa diligentia maximaque cura in eas convertebatur. Praeterea in hortis colendis versabantur summo studio, nec tamen ut inde fruges fructusque colligerent, sed oculorum et narium haberent oblectamenta<sup>78)</sup>. Nec minus vitium culturam exercebant. Quo factum est, ut Romani, qui villis delectarentur abundanterque latifundiis, frumenti saepe penuria et inopia laborarent ac premerentur. Nec mirum. „Nam quod nunc, inquit Varro<sup>79)</sup>, intra murum fere patres familiae correpserunt relictis falce et aratro et manus movere maluerunt in theatro ac circō, quam in segetibus ac vinetis, frumentum locamus, qui nobis advehat, qui saturi fiamus ex Africa et Sardinia, et navibus vindemiam condimus ex insula Coa et Chia.“ Nec postea secus fuit ac antea. Nempe „vita, inquit Tacitus<sup>80)</sup>, populi Romani per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur ac nisi provinciarum copiae dominis et serviis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraque villae tuebuntur?“ Recete igitur Plinius<sup>81)</sup>: „verumque confitentibus latifundia perdiderunt Italiam, iam vero et provincias“.

71) cf. Varro de r. r. III. 13: »apros quidem posse habere in leporariis nec magno negotio ibi et captivos et cicures, qui ibi nati sint, piigues solere fieri scis. Nam quem fundum in Tusculano emit hic Varro a M. Pupio Pisone, vidisti ad bucinam inflatam certo tempore apros et capreas convenire ad pabulum, cum e superiore loco e palaestra apris effunderetur glans, capreis viae aut quid aliud. Ego vero — apud Q. Hortensium cum in agro Laurenti essem, ibi istuc magis τραγιζός fieri vidi. Nam silva erat, ut dicebat, supra quinquaginta iugera maceria septa, quod non leporarium sed ἡριοτροφεῖον appellabat. Ibi erat locus excensus, ubi triclinio posito coenabamus. Quintus Orpheus vocari iussit. Qui cum eo venisset cum stola et cithara et cantare esset iussus, buccinam inflavit, ubi tanta circumfluxit nos cervorum, aprorum et ceterarum quadrupedum multitudo, ut non minus formosum mihi visum sit spectaculum, quam in circō maximo aedilium, sine Africanis bestiis cum flunt venationes.

72) Glires in dolii saginabantur cf. Varro de r. r. III. 15; in coenis edebantur cf. Plin. H. N. VIII. 82 coll. XXXVI. 2; visus claritatem gliris cinere restitui credebant cf. Plin. H. N. XXIX. 38 coll. 39.

73) cf. Varro de r. r. III. 3. Colum. de r. r. VI. 7; de piscinis cf. Hor. carm. II. 15. 4 ibique interpp. Plin. H. N. IX. 79; de cochlearum vivariis cf. ibid. 82. Varro de r. r. III. 14.

74) Varro de r. r. III. 1.

75) cf. Colum. de r. r. VI praef.: »et nunc apud nostros quidem colonos alia res uberior nulla est sqq.

76) cf. Varro de r. r. III. 2. 77) cf. Varro de r. r. III. 2.

78) cf. Hor. carm. II. 15. 4 coll. Beckeri Gallo I. p. 283 sqq.

79) Varro (M. Terent. natus anno a. Chr. CVI, mortuus anno p. Chr. XXVIII, Ciceronis aequalis et familiaris, Romanorum doctissimus polyhistor) de r. r. II. 1, init. cf. Virg. Georg. I. 506 sqq.

80) Tac. Ann. III. 54 coll. XII. 43. 81) Plin. H. N. XVIII. 7. 3.

Itaque etsi in re rustica universa quodammodo Romani ea aetate processerint progressusque fecerint, tamen agricultura ipsa neglecta est. Sed qua accidere agriculturae maior poterat nulla calamitas fuerunt bella civilia, exorta ex contentionibus hominum regnandi cupidorum, et praetorium Romanorum avaritia et publicanorum vexationes, iniuriae ac rapinae, de quibus, quum notissimae sint, addere quicquam supersedeo, praecepsim quum Sallustius<sup>82)</sup> reipublicae statum, qualis fuerit ea aetate, his paeclare descripserit verbis: „ubi labore et iustitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, — cuncta maria terraeque patebant: saevire Fortuna ac miscere omnia coepit. — Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas subvertit: pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit“. In bellis autem civilibus milites veterani invaserunt et occuparunt bona proscriptorum aliorumque insontium, assignata iis a ducibus, qui sibi eorum animos conciliarent aut avidos rerum et turbulentos sedarent mollirentur<sup>83)</sup>. Quae bona quum venissent in arbitrium et potestatem eius generis hominum, quomodo administrata sint, facile est ad intelligendum<sup>84)</sup>. Male parta male dilabuntur. Paullo post vendita nummo devenerunt in manus hominum divitum, qui occasione arrepta pecuniam suam incertae et dubiae rei impendere ausi latifundia augere et amplificare possent. Unde evenit, ut agricultura magis etiam iaceret atque aucta pauperum multitudine Italia per se fertilissima saepius fame premeretur et plebs urbana largitionibus frumentariis adiuvaretur congiariaque, quae iamdudum in usu essent, retinerentur necesse esset<sup>85)</sup>). Neque Augustus, imperium adeptus magnam harum rerum commutationem efficere potuit. Is quidem cum republica constituenda ac ordinanda tum cultu deorum restituendo, cum reducenda morum<sup>86)</sup> sanctitate tum vi atque avaritia reprimenda tempora meliora, meliorem rerum statum veteresque artes revocare studuit. Idcirco quamvis summis laudibus efferretur et a scriptoribus et a poetis, tamen adeo non effecit id quod volebat, ut quae antea fuerant mala etiam tum gliscerent ac serperent. „Tutus quidem bos rura perambulabat“<sup>87)</sup>, sed avarus tamen homo parum locuples continente ripa revellebat proximos agri terminos et ultra limites clientium saliebat<sup>88)</sup>. Nec multum profuit agriculturae, quod agri in Italia tributo immunes erant, quum in provinciis vectigal certum aut incertum, quod nominabatur, solvendum esset, hoc est decima aut quinta proventus pars. Tiberius cum secutus, primis quidem imperii annis quum summa severitate eorum qui provinciis praeerant, avaritiam, libidinem, violentiam coerceret<sup>89)</sup> multaque bene institueret, agricultura etsi revixisse

82) Sall. b. Cat. 10 coll. 11 et 12 (\*proinde quasi iniuriam facere, id demum esset imperio uti\*).

83) cf. Appian. bell. civ. V. 12. 13 coll. V. 5. 6 et 22. Strabo V. 2 et Liv. epit. LXXXIX. Vell. Pat. II. 18 coll. 66 et 74.

84) cf. Virg. Georg I. 506 sqq.

85) cf. Liv. XXXVII. 57. Cic. or. Phil. II. 45. 116 ed. Nobbe. Senec. de benef. IV. 28. Sueton. Aug. 41. Tiber. 20. Calig. 17. Claud. 20. Nerg 7. Domitian 4.

86) Qui quales tunc fuerint, docet Hor. carm. III. 6 coll. carm. I. 8 et carm. III. 24. 54 sqq.

87) cf. Hor. carm. IV. 5. 17 sqq. 88) Hor. carm. II. 18. 23—29.

89) cf. Sueton. Tib. 32: praesidibus onerandas tributo provincias suadentibus rescripsit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere, coll. 32—39.

videatur<sup>90)</sup>), tamen quominus id statuamus prohibent Taciti verba supra<sup>91)</sup> allata. Et profecto tantum abfuit, ut imperatoribus regnantibus pristina antiquorum Romanorum tempora redirent, ut Columella<sup>92)</sup> agriculturae condicionem hoc modo quereretur: „Saepenumero, inquit, civitatis nostrae principes audio culpantes modo agrorum infecunditatem modo coeli per multa iam tempora noxiā frugibus intemperiem, quosdam etiam praedictas querimonias velut ratione certa mitigantes, quod existiment, ubertate nimia prioris aevi defatigatum et effoetum solum nequire pristina benignitate p̄aeberc mortalibus alimenta. Quas ego causas procul a veritate abesse certum habeo. — Nec post haec reor intemperantia coeli nobis ista, sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo cuique servorum velut carnifici noxae dedimus, quam maiorum nostrorum optimus quisque optime tractaverit. Atqui ego satis mirari non possum, quid ita dicendi cupidi seligant oratorem, — sola res rustica quae sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiae est, tam dissentibus egeat quam magistris. — Nunc et ipsi praedia nostra colere dēdignamur. — Mox ut apti veniamus ad gancas, quotidiam cruditatē Laconicis excoquimus et exsucto sudore sitim quaerimus noctesque libidinibus ebrietatibusque, dies ludo<sup>93)</sup> vel somno consuminus ac nosmet ipsos ducimus fortunatos, quod nec orientem solem videmus nec occidentem. Itaque istam vitam socordem persecutur valetudo. Nam sic iuvenum corpora fluxa et resoluta sunt, ut nihil mors mutatura videatur<sup>94)</sup>).“

Quanta reipublicae mala istine emanaverint, inter omnes constat. Quum enim Romani plerumque in aëre umbrisque urbium degerent vitam et heluationi dedit luxuria diffuerent, muneri militiae sustinendo erant impares et inutiles. Itaque e provinciis legionibus supplementa scribenda erant, deinde milites conducendi mercede. Hinc paullo post arrogantia, insolentia, dominatio militum, hinc tempestates seditionum, turbæ, defectiones, tumultus, pugnae, calamitates, denique ruina imperii Romani. Sed non est malum, quin id habeat aliquid boni. Nam milites exterarum gentium, qui in exercitibus Romanorum erant, cognoscebat praeter alias artes artem et meliorem modum agri colendi et multas plantas, arbores, semina terrarum, in quibus militandi causa in stativis saepe versabantur. Domum reduces ea inferebant in patriam suam. Saepe etiam coloniae in exteris terras deductae maiora ceperunt incrementa, ut colonia sive oppidum Ubiorum, cui postea nomen Coloniae Agrippinensis inditum est, iam Claudio imperante efflorescere coepit et commercio et agricultione<sup>95)</sup>. Eodem modo Trevi-

90) Vell. Pateric. II. 126: »quando annonā moderatior?« cf. Sueton. Tib. 34: »annonamque macelli senatus arbitrato quotannis temperandam«.

91) cf. 80.

92) Col. de r. r. in praef. (L. Iunius Moderatus Columella floruisse videtur Claudio imperatore (ab anno p. Chr. n. XLI ad LIV)).

93) Itaque plebs urbana, cuius erat numerus fere innumerabilis »panem et Circenses« flagitabat cf. Iuv. sat. X. 80.

94) cf. etiam Hor. carm. III. 24. 54 sqq. Praeter Catonem, Varronem, Columellam scripsit de re rustica Palladius Rutilius Taurus Aemilianus, qui vixit aut Hadriano imperatore aut Septimio Severo imperante. Is primus opera rustica singulis anni mensibus descriptis et explicavit.

95) cf. Plin. H. N. IV. 31. Tacit. XII. 17 coll. Gesch. der Stadt Köln von v. Mering.

rorum oppidum<sup>96</sup>). Nec in Britannia tum demum exercitus non sunt ducti<sup>97</sup>). Nerone imperatore tributa quinquennio illo laudato<sup>98</sup>) provinciarum quum minuta essent, provinciales, qui ex magistratuum arbitrio minus penderent, suis rebus melius consulere potuerunt. Adde quod copiae Romanae usum pecuniae frequentiorem reddebant, qua quum hominum animi allicantur, ea quodammodo agri curiosius colendi, unde necessitati et luxuriae et luxuriae militum satisfacerent sibique facerent pecuniam, erat incitamentum. Neronem qui secuti sunt imperatores quum provincias tutari atque in officio retinere studerent idque et deducendis coloniis et militibus ubicunque dispositis optime efficere posse sibi viderentur, ii vel inviti agriculturam gentium imperio Romano subiectarum adiuverunt. Traianus in Daciam colonos misit<sup>99</sup>), in Germania milites suos incultas regiones colere iussit Probus, qui idem ibi primus vineam instituit<sup>100</sup>), Diocletianus deposito imperio ipse hortorum cura et cultu delectatus Dalmatas hortos colere docuit<sup>101</sup>). Itaque Romani tanquam magistri fuerunt agriculturae neque eis hoc solum a summo numine divino, ut christianae doctrinae viam munirent, sed etiam gentium agrestium, quae adhuc a cultu et humanitate abessent, ingenia formarent et mentes fingerent, agriculturam invehentes, quo facilius in animis pietas et religio radices agere et tutius securiusque vigere et florere possent, destinatum fuit.

96) Iam a Caesare in comment. de b. G. iterum iterumque commemoratum cf. etiam Ausonii ordo nobilium urbium IV et Zosimi hist. III. c. 7 coll. Universalgesch. der christl. Kirche von Alzog S. 345; quanquam inania sunt et inepta verba, quae in eius urbis inscripta inveniuntur devversorio quadam, cui est nomen »das rothe Haus«: ante Romanum Treviris stetit mille annis trecentis».

97) Eutrop. VII. 13 (8). Tacit. Agric. 13, 14. Sueton. Claud. 17. Tac. Ann. XII. 31.

98) Aurel. Vict. ep. 5. 99) Dio. LXVIII. 10. Eutrop. VIII. 2.

100) Aurel. Vict. ep. 37. Eutrop. IX. 17 (11).

101) In villa haud procul a Salonis in Dalmatia sitis cf. Zosim. II. 7. Eutrop. IX. 28. Aurel. Vict. ep. 39: »utinam Salonae possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud (sc. imperium) tentandum iudicaretis».